



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 5. Quinam licitè possunt Eucharistiam dispensare?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

que impediri si aliqua horum particula mixtae salivæ præter intentionem descenderent, ut dictum est de reliquiis aquæ, cum os abluatur.

*Observa. 3.* Post cibum paulò ante mediam noctem sumptum non requiritur somnus, aut cibi digestio ad communicandum. Missale Roman.

*Q. 5. Quinam licitè possunt Eucharistiam dispensare?*

*Resp. I.* Soli Sacerdoti competit potestas ordinaria dispensandi Eucharistiam, ex Trid. sess. 13. c. 8. nam hæc commissa est iis solum, qui possunt illam conficere, & ad quos spectant illa Christi verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Tamen ex ejus commissione potest Diaconus illam ministrare, ut constat ex praxi veteris Ecclesiæ; non autem Subdiaconus, ut constat ex communi Doctorum consensu, & universali consuetudine Ecclesiæ. Et verò Diaconus habet ex sua Ordinatione in ordine ad hanc functionem aliquid plusquam alii Clerici inferiores; non quòd habeat ex sua Ordinatione potestatem distribuendi; sed quia consecratur peculiariter in Ministrum immediatum Sacerdotis, & supremum inter Ministros, atque adeò ad ministrandum & intervendum Sacerdoti in rebus Superioribus & dignioribus, quarum præcipua est distributio Eucharistiæ. Verùm ex usu præ-

præsenti Diaconi id non possunt sine Licentia Episcopi ob iustam causam, nisi in necessitate dandi Viaticum.

*Resp. II.* Sacerdoti non licet Eucharistiam ministrare, sine jurisdictione ordinaria, vel delegata, aut privilegio; quia Pastorum munus proprium est pascere, quod fit per Sacramenta. Unde mortale est id facere sine jurisdictione vel facultate, saltem generali & interpretativa; nam est propria auctoritate usurpare jus alienum in re gravi contra debitam gubernationem, & ordinem Ecclesiæ; idem dic de alio Sacramento. Si tamen Pastor absit, vel præsens non possit dare Viaticum ægro, tunc quilibet Sacerdos, & eo deficiente Diaconus potest ac debet ministrare: nam tunc præsumitur voluntas Episcopi, vel Papæ, cum Eucharistia sit tunc jure divino præcepta, & maximè utilis sit, imò aliquo modo necessaria ad vires spirituales in illo periculoso agone comparandas: neque enim Jurisdictio requiritur ad ministrandam Eucharistiam, tanquam aliquid pertinens ad substantiam ministratio- nis, sicut pertinet ad substantiam ministratio- nis Pœnitentiæ, sed solum ad debitum ordi- nem, & modum servandum in gubernatione populi Christiani. Unde ad illud, non ad hoc sufficit voluntas præsumpta.

*Not.* Est mortale Eucharistiam sub utraque specie panis & vini dare: ex Conc. Constant. & ex recepta consuetudine, vim legis habente  
& ap-

& approbata à Trid. sess. 21. c. 2. Item eam distribuere sine stola, Superpelliceo, vel Alba; quia est contra reverentiam ei debitam, & Præceptum Ecclesiæ.

## CAPUT III.

### *De Missæ Sacrificio.*

Q. I. **A**N Eucharistia est verum Sacrificium?  
 Resp. **A**ff. Est de fide, ex Trid. sess. 22. can. 1. 2. & 3. Ratio est, quia Sacrificium propriè dictum est oblatio externa substantiæ sensibilis, per ejus realem immutationem facta Deo, in testificationem supremi Domini Dei in omnes creaturas, & harum ad eum subjectionis. At hæc omnia conveniunt Eucharistiæ; nam per eam offertur Deo Corpus & Sanguis Christi, quæ sunt sufficienter sensibilia per species consecratas; & per actionem sacrificantis immutantur, quatenus per eam ponuntur Corpus & Sanguis sub speciebus corruptibilibus in statu realiter diverso, & inepto ad usus naturales ac humanos Corporis & Sanguinis, atque tendente ad destructionem seu desitionem, quatenus, speciebus corruptis, necessariò ibi desinunt esse Corpus & Sanguis Christi. Fitque hæc oblatio ex institutione Christi ad agnitionem supremi Dei in res omnes Domini, quod nempe sit ipse autor supremus rerum omnium, Dominus vitæ